MARCUS POLUS. IOHANNES PRESBYTER. LUDOLPHUS DE SUDHEIM

15. Jh. Seite 50r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=32474
Copyright: Schlierbach, Zisterzienserkloster

escier cui subsunt multe alie civitates et castra. habet
optimum portum quo ducuntur equi ducendi in indiam
in tanto numero quod nemo posset credere nisi videret. In
hac provincia nascitur incensum album in magna copia.
Arbores autem gignentes incensum sunt sicut abietes
parve in quibus factis corticis incisuris emanat inde incensum.
Nullum bladum nascitur ibi nisi risum et vinum faci-
unt de risis. Animalia eorum sunt equi et cameli boves
et arietes vivunt solum de piscibus quia nullam herbam
habent propter maximum calorem propter quod est terra omnino
desiccata. De mense aprilis marcii et maii capiuntur
in mari illos pisces in maxima copia quos siccantes
servant pro toto anno et de illis piscibus nutriunt animalia
sua cum careant omni herba et blado habentes modicum
risi quod parce ibi nascitur. Pisces enim quos comedunt
animalia siccos et recentes sunt parvi. De magnis enim
piscibus quos capiunt copiose faciunt panem sic scin-
dentes pisces minutatim coquunt illos et cum
aqua impressa conficiunt eos sic pastam et sic panem
exinde confectum coquunt ad solem quod iterum sicca-
tes faciunt panem duris coctum quem pro toto anno servantes
comedunt avide.
Maxima multitudo tartharorum habitat versus
aquilonem habentes regem qui est de genere magni